



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

17. De residentia Rectorum Ecclesiarum Parochialium, & obtinentium
Canonicatus, & dignitates.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10456

querint, puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione, & institutione; prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontif. meruerint obtinere, & qui talia beneficia, seu officia receperint eos prædictis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quoad personas quo vero ad Capitula & Conventus, à Divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus, quibus etiam nullus alius quam ipse Romanus Pontifex sive absolutionis sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertiri: prohibitione & litteris nostris prædictis, nihilominus in cæteris omnibus perpetuo valeturis. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, &c. Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatibus, necnon Ecclesiis monasteriis Conventibus & Capitulis, Collegiis, & universitatibus, eorumque & aliis personis etiam Regia & Imperiali Majestate prædictis concessis &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ relaxationis, præcepti, interdictionis decreti, promulgationis, iustificationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarna-

tionis Dominicæ 1568. Kal. Aprilis; Pontificatus nostri anno tertio.

Cæs. Glorierius

H. Cumyn.

De residentia Rectorum Ecclesiarum Parochialium, & obtinentium Canonicatus, vel Dignitates.

XVII.

Part. 3. allegat. 53.

PIUS Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CUpientes pro nostri pastoralis officii munere, Christi fidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, & Parochialibus Ecclesiis ab earum Parochis, prout tenentur, in divinis debite & laudabiliter deserviri, inharendo etiam decretis Sacri Concilii Tridentini, Motu proprio, & ex mera deliberatione, certa que scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione omnes, & singulos rectores Parochialium Ecclesiarum cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ fuerint, in quibuscunque regnis, provinciis, civitatibus, diocæsis, ac aliis Christiani orbis partibus consistentes, qui Parochialem Ecclesiam, ac Canonicatum

atum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem majorem sui principalem, in quibusvis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus seu Collegiatis Ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium Ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum à Rom. Pontificibus predecessoribus nostris, seu etiam à nobis hæctenus quomodolibet impetratarum, ac litterarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac præsentis constitutione abolemus & revocamus, seu quocumque alio prætextu obtinent, cum prima & præcipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia Parochiali, & ibi in divinis deservendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri, & obligatos esse, ac ad id per Episcopos, & alios locorum ordinarios, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatos, sub sententiis & censuris Ecclesiasticis, ac pecuniariis, arbitrio eorundem declarandis, ac etiam privationis dictarum Parochialium, & aliorum quorumcumque beneficiorum pœnis, quacumque appellatione remota, cogi & compelli posse & debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus præcipimus & ordinamus. Eostamen sic residentes in Ecclesiis Parochialibus omnes & singulos fructus, redditus & proventus, etiam Canonieatus sui, vel dignitatis, vel alterius cujuscumque beneficii (exceptis dumtaxat quotidianis distributionibus, & aliis, quæ ex justa causa absentes per-

cipere non solent) lucrari volumus: sicque per quoscumque judices & commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, interpretari, judicari, & definiri debere: necnon irritum & inane, quidquid secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsitan est hæctenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis dispensationibus & exemptionibus, litterisque Apostolicis desuper confectis &c. Quibus omnibus &c. illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, revocationis, statuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntationis infringere &c. Si quis autem hoc attentare &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXVIII. octavo Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

Cæs. Glorierius

H. Cumjn.

Con-